

repetere nos oportet, si ad faciem nostrae ecclesiae et scholarum respiciamus. Multorum Principum immatura lenitate, imoleuitate, et antistitum quorundam ἀνθρώπων παρῆστων culpa, magno ecclesiae damno, factum est, ut seuerioris disciplinae ecclesiasticae, quae tempore ERNESTI PII adhuc vixit, ne umbram quidem habeamus. Et quam vehementer periti rei scholasticae viri castigatae disciplinae exercitium in plerisque scholis desiderant! Neglecta enim in scholis, etiam superioribus, seueriore disciplina, adolescentum mores deprauantur. Soluta disciplina scholastica, leges diuinae et humanae a scholarum alumnis petulantur soluuntur. *Blanda patrum segnes facit indulgentia natos*, inquit *Mantuanus*. Et indulgentia blanda rectorum scholarum discipulos segnes ad virtutes fieri et omnibus vitiis indulgere videas. Hoc diligentius igitur, qui Lyceorum regimena tenent, id sibi negotii dari credent, ut disciplinam scholasticam ad priscos redigant mores. Illorum igitur, quos sibi in disciplinam traditos esse vident, ingenia seueriore disciplina sic formabunt, ut salutaribus admonitionibus, quas Graecorum philosophi παρανέσεις vocant, cultui diuino priuato et publico, frequentandis cum fructu praelectionibus publicis et priuatis, honestis et decoris moribus assuefiant. Ut omnis generis vitia, otia et praua sodalitia cane peius et angue ode- rint et fugiant, sedulo suos et grauius hortabuntur. Qui paternas eorum adhortationes et dehortationes malitiose detre- ctant, corporis et carceris poena coërcerent, nec illos audient, qui parcendum arbitrantur iuueni Absolomo. Sic se gerendo et disciplinam castigatissimam colendo, propitio numine, disci- plinatos et bene moratos habebunt scholarum suarum alumnos. Tales erant Gymnasii nostri ciues, Directore D. *Iohanne Mat- thaeo Meyfarto*, viro pietatis honestique studio feruente. Is enim,

ba Ciceronis de Sen. c. 16. dicentis, *se satis admirari non posse tempo- rum disciplinam*, protulerat, haec, quae attulimus, ex suo ingenio addidit, in sua fortasse tempora conuenientia.